

ticis etiam plura saepius, sed cum intervallo dare oportet et maxime cum tussiunt et praefocari videntur et difficulter spirant sive noctu sive interdiu: protinus enim excreant ea, quae obstant transitui spiritus, et tussire desinunt.

Lexipyretos

XCV. Alterum medicamentum ad tussim aridam: nasturci animati seminis pondo uncia, alterci seminis pondo uncia, opii pondo uncia, myrrhae pondo uncia, croci pondo semuncia, sulphuris vivi pondo semuncia, piperis albi pondo quadrans. melle colligitur medicamentum, datur fabae Aegyptiae magnitudine ex cyathis aquae tribus in noctem. facit autem hoc medicamentum ad lateris dolorem et ad stomachi inflationem, gravedinem, coeliacis, qui subito universa deiciunt; prodest et dolenti superpositum et circumdatum denti et, si exesus est, in cavernam eius insertum. tollit praeterea horrores febrem praecedentes, tum cum haec circuitum certum habet, datum ante horam, diutius corpore perfricato ex oleo calido. prodest et eis, qui sine horrore circuitibus febrium vexantur; quamobrem lexipyretos haec compositio dicitur.

XCVI. Aliud ad tussim aridam et glutinosa excreantes, purgat etiam interaneas vomicas, suppurationes: lini seminis, urticae seminis, nasturci seminis, iris Illyricae radicis aequa pondera misceri oportet et cum melle despumato quantum satis sit et frequenter oportet cocleario dare.